

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Ultimum Officium ... Viro Magnifico, Nobilissimo, Et
Amplissimo, Dno. Marco Ottoni, Doctori Consultissimo ...
Die 5. Novembr. Anno Christi 1674. aetatis suae 74. piè &
placidè defuncto ...**

Sebisch, Johann Albert

Argentorati, 1674

[urn:nbn:de:bsz:31-136602](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-136602)





ULTIMUM OFFICIUM,

*Quod inter planctus & lacrymas suorum, nec non publicas
Liberae Imperialis hujus Civitatis, & ordi-
nis eruditi suspiria,*


VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, ET
AMPLISSIMO,

DNO. MARCO
OTTONI,
DOCTORI CONSULTIS-
SIMO, ILLUSTRIS REIPUBLICÆ AR-
GENTORATENSIS, DIVERSORUMq; S.R.I.
PRINCIPUM ET STATUUM CONSI-
LIARIO GRAVISSIMO,


Die 5. Novembr. Anno Christi 1574. ætatis suæ 74.
piè & placidè defuncto

Gembundi præstiterunt

DN. Professores, Pastores, & Præceptores.]



ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.



OTTO qui magnus magnarum munere rerum
Judicio magnus consilioque fuit
Promotor pacis quondam dum Patria pace
Nunc eget, est paci redditus ætheriæ:
Jam reliquas taceo laudes, neque pagina ferret
Nostra VIRUM loquitur, publica charta patens.

*Ultimi honoris ergò
Patrono & Compatriuo honoratissimo
scripsit*

Johannes Albertus Sebizius, Med. Doct.
Prof. Ordinarius, & h. t. Universitatis Rector.

In Obitum
Magnifici Viri, DN. MARCI OTTONIS, V. J. D.
& Reipubl. Argentin. Advocati,
Patroni sui.

Pulchrum est, consiliis prudentibus atque secundis
Res adjuvare publicas:
Hæ quando in primis patiuntur mille labores
Periculoso tempore.
Pulchrum est, justitiæ sanctæ causisque præesse
Casusque duros solvere.
Pulchrum est, sinceram sapienter in omnibus istis
Servare conscientiam.
Hos, Vir Magne, Tibi titulos quis jure negabit
Laudum bonus pulcherrimos?
Namque in consiliis, cura cordique fuit, Rem
Ut adjuvares publicam.
Nisus es in causis, ut justitiæ ipse sacerdos
Æquum teneres & bonum.
Sic arbitratus, servare per omnia salvam
Te posse conscientiam.
Ergò Tibi tandem, fato clemente, per actum est
Per mortem ad astra iter seni.

Ult. & deb. honor. E.
f.

Sebastianus Schmidt, D.

Ille olim constans æquique bonique sacerdos
Urbisque nostræ oraculum
Annorum satur & meritorum morte beatâ
adit domos cœlestium
Non cuivis, paucis mortalibus, accidit Illud!
ô singularem Gloriam.

Observantiæ E.

i. m. j. apposuit

Gothofredus Stöfferus, U. J. D. Pand. Prof.
Ord. & p. t. Collegii Juridici DECANUS.

Qui gentes nôrat Pacis traducere ad artes
Abripitur modò, dum corrui illa brevis!
Qui recti custos & servantissimus æqui,
Abripitur, populo dum mala mille placent!
Vates fatidici quæ non hinc tristia cantent?
Et qui sustineas hisce negare fidem?
Iusta quod instantis decrevit sanctio fati,
Urget & urit enim, dum mala multiplicat.
Felix ergo iterum quem sic sacraria cœli,
Migrantem è terris, ocyus excipiunt!

Observantiæ E.

f.

Marcus Mappus, D. & P. P. Fac. Med.
p. t. Decanus.

Qui Consultor eras, qui pacis & arbiter almæ,
Tempore, quo nostro est reddita in orbe quies:
Et Patriæ rebus vel solo munere in illo,
Cætera si defint, commoda mille dabas,
OTTO senex, illo nunc tempore deferis urbem,
Commoda quo pacis deseruere simul.
Sint utinam nobis pacis qui munera reddant,
Sintque TUI similes, OTTO beate, super!

Supremi officii ergo

f.

Julius Reichelt, Prof. Mathem. Ord. Col-
leg. Philosoph. h. t. Decanus.

Prastantem Pietate VIRUM, Virtute, Fidèque,
Prudentiâque maxima,
Et meritis multis clarum, atque ætate verendum,
Auctoritate & splendidum,

A 2

Hinc

*Hinc discedentem, luctu lugemus acerbo ,
 Hoc turbulento tempore.
 Orbi reddiderat pacem Virtus TUA, pacem
 Debebat & nunc reddere,
 Pace diuturna latos jam turbine belli
 Furente tristes, deseris.
 Sed pax est quesita TIBI constantior, ulla
 Formido quam non polluat.
 Non erat in terris illi locus, hinc fugis ergo,
 Pacemque firmam repperis.
 Sic TIBI consuluit Pietas TVA, jamque beatam
 Vitam excipit beatior.
 Nos erimus memores, nunquamque è pectore nostro
 Tanti excidet Nomen VIRI.*

Memoriam piè defuncti
 DN. ADVOCATI Senioris, & Amplissimi,
 Patroni magni, Compatrii desideratissimi, mente
 grata veneraturus, scr.
 Isaacus Faustius, SS. Theol. D.
 & PP. & Ecclesiast.

In Obitum

Viri quondam

Magnifici, Amplissimi atque Consultissimi

DOMINI

MARCI OTTONIS, J.U.D. & Reipubl. Argentin.
 Advocati senioris meritissimi.

VUlgo conquerimur: *terras Astræa reliquit!*
 Ah injustitiæ cedere iussâ loco!
 Iussa per immanem, qui diripit omnia, *Martem,*
 Quaque patet pagus strage vel igne furit;
 Vel per *Mercurium*, qui dæmon peccat utrinque,
 Mercibus & pretiis transgrediendo modum.
Mercibus, aut raptis per fasque nefasque; vel omni
 Vel tanta indignis venditione sui;
 Et *preiis*; majora petens, reddensve minora,
 Quàm decet, invitis legibus atque Dæo.
 Hanc injustitiam cum MARCUS cerneret OTTO,
 Tempora speraret nec meliora fore;
 Latronum spelunca vale vale, dixit, inique
 Munde, locus melior me vocat, ibo lubens,
 Etsi per mortis; nam tendit ad æthera, vallem,
 Æthera, quod templum nullus iniquus adit;
 Justus adit, qualem fuso me sanguine Christus
 Præstitit, & fidei conciliavit amor;
 Sume (precabatur) mentem, pater alme, manique
 Custodj, donec luxerit illa dies,

Quæ

Quæ suprema suis è tumbis viva vocabit
Corpora, spiritibus restituetque suis.
Dixerat, ecce DEUS demittit ab æthere dextram,
Et quod crediderat pignus ad astra refert!
Mense dieque refert, quo *Dannhauverus* agonem,
Cœperat ante annos octo subire suum,
Et, quàm præbebat cœlum, captare coronam
Immarcessibilem; Nam bene cessit agon!

*Observantia Magno quondam Patrono suo
contestanda gratia L. M. Q.
posuit.*

*Balthasar Bebelius, S.S. Theol. D.
& P. P.*

FAllor, an omen erit? Tristis dum personat aures
Nuntius: *Otto* fuit Doctor, qui præfuit Urbi,
Consiliis! me forte docet divinus Esaias:
En! *justus* moritur, neque erit, qui desuper unquam
Cogitet; & *Recti* pereunt; luget quoque nemo.
Dii prohibete nefas! Hic *justus* vivit in ævum
Particulâ meliore sui, quin perpete famâ
Et desiderio illorum, qui Jura tuentur!

Scrib. Condol.

Johannes Rebhan, D. Com. P. Cæs. Cap.
ad D. Thomæ Decanus, Colleg. Jurid. Se-
nior, Prof. Ordin.

Ipsè peregrinis Patriam quæsierat oris
inclytus *Ottoides*; repperiitque simul.
Argentina Virum plangit, qui juverat Urbem
hactenus ingenio consiliisque potens.
Non moritur: donec viget Argentina, vigebit;
perpetuumque decus, qui benè vixit, habet.

B. Defuncti

Memoriae sempiternæ

l. m. q.

p.

Gerardus von Stöcken / U. J. D.
ac Instit. Imperial. P. P. Capitul.
Thoman. Canonicus.

OTTONES, MAGNUM, INFANTEM, qui Tertius, orbis
Ille stupor non mendax, dudum sacra, profana
Scripta Diis miscent superis. Quem *Suevica* tellus
Progenuit, vidit stupefactus *VVestphalus*, orbis
Alsatici melior pars, *Argentina*, sepulchro
Tectum deplangit scissis cum veste capillis,

B

Calibus

Casibus *hic* nullis, nullis delebilis annis
OTTO PIUS, FELIX, nobis post fata colendus.

Condolentia & observantia testanda causa
ser.

Johannes Faust, SS. Th. D.
Log. & Metaph. PP.

Argentoratum cur ita ingemiscat, &
Velut domus subito gravique fulmine
Concussa nutet, nosse si causam cupis,
Dicam. Columna nunc adempta illi est sua.
Columna quæ, si interrogas, scias & hoc.
Heu! Magnus ille & orbe toto cognitus
Non vivit amplius OTTO, sed jam est mortuus.

Paucu hiscæ
Viro, Orbis decori, & Patriæ nostræ dum
vivebat, Columini ultimum hono-
rem exhibet.

Samuel Schallesius, Eloq. Prof. Publ.
& Gymnasiarcha.

Hocne erit in Patriæ fatis, ut Curia luctu,
Publica vix unquam simplice damna gemat?
Et quæ summi aliis sunt complementa doloris,
Funera, in his Illi tristius omen erit?
Bella quid Imperium querar involventia totum
Sed tamen Alsatice asperiora plagis?
Ar quod vix decimâ redivivus luce Senatium, &
Bis Patriæ atratos Sol videt ire Patres,
Vulneris indicium minime communis, & in nos
Certius irati quis neget esse Dei?
Quod tamen ô luctus utinam ventura recentis
Esse sinant longo tempore materiam.

Ulricus Obrechtus.
Hist. Prof. Ord.

In Funere,
Nobilissimi & Amplissimi JC. & Consilarii Senioris,
de R. P. c.â Argentoratensi à multis jam annis
praclarissime meriti.

Astate mortui, sedens super throno,
Judex supremus, advocat; patent busta,
Hiant sepulchra, prodit agmen immensum,
Et ora pallor occupat, tremor mentem.
Eccur timetis? Cur pavor ferit corda?
Vox Judicis sonabit illa fatalis,
Quæ muneratur innocentiam: facta

Ulcisciturque criminum gravi pœnâ.
Heu qualis obviam venit mihi cæctus!
Hos specto cinctos candidissimâ veste,
Terse coronâ fulgidos triumphali.
Illos, sinistrum quos mihi latus sistit,
Pice nigriores cerno, luridum vultum,
Sulphur vomentem pestilemque factorem.

O quæ

O quæ brabea destinata sunt iustis!
Tormenta quotque præparata damnatis!
Hæc scena nil mentitur, hæc nihil ficti
Producit; ut quis vixerit, suam palmam
Hinc auferet, certus *faber sua sortis*.

Hi, quos Fides, piæque sanctitas vitæ,
Dilectio sincera proximi, *iustum*
Rectumque, per vitæ viam, decoravit,
Hi claritate solis aureum lumen
Vincent beati, nescientque jus mortis.
Hæc est imago luculenta sanctorum.

Imago sed quæ fontium? malignè qui
Vitæ peractæ, Conscientiam lugent,
Hunc ira frendens effecerat, quodvis
Scelus ut patraret, & manus cruentas,
Pectusque læsum ferret in sepulchretum.

Alius flagella sentit, & suos ictus,
Dum *jura conculcavit*, & *peplo recti*
Manu rapace proximi penum mulsit.

Quid peierantes, turpiterque ructantes
Blasphemias attingo? quid popinones?
Qui spongiæ semper modo madescabant,
Pleni lixæ, nunc stygis picem densam
Bibunt, auebant ante qui merum nectar.

Tacebo cæteros, quibus furens ignis,
Tortorque pectus impium, vorat, rodit,
Ixionis rotam, *Promethei* morsus,
Saxumque *Sisyphi*, vel si quid his majus,
Sileat vetultas, acrius genus mortis,
Et durius, semperque pullulans, pænis
Recentibus, paratum incolis Orci.
At illa qui vis signæ fide, Christum
Qui comprehendit unicum perennanter,

Dei timore, castimoniâ vitæ,
Integritate, moribus valet sanctis,
Qualis fuit, dum vixit OTTHO per magnum
Lumen fori, fulgensque splendor Astrea,
Consus fidelis, in negotiis juris,
Et ampli-dexter, seu clientium fata
Defenderet, nodosque juris implexos,
Ceu Gordios, secaret ingent falce,
Seu per profundum mobiles trahens gressus,
Eruderat Veritatis Oracla.

Lugent ademptum, voce flebili, Crves,
Quorum salutem, spesque resque defendit.
Lugent ademptum, Patrie Senatores,
Quibus probatus, ob peritiam raram,
Indutriamque, dum EVIT, fuit semper.

Vixit piæ, VIR nemini gravis, iustus
Tenaxque iusti, iudicis gerens vultum,
Si ponderanda res; nec absuit felix
Eventus his. Hoc invident Decus Parcæ
Nobis, sepulchrum devorat tot excelsas
Dotes, laborque iuris omnis exspirat.

Grassante correptus Vir Optimus morbo,
Intra dies paucissimos, datur letho
Animamque fundit in sinum Creatoris.
VIR MAGNE, salve, municeps beatorum
Coloniæ que sideralis infessor.

Qui jura dixerunt & explicaverunt,
Reique commodare Publicæ multum,
Ceu Sol micabunt, in Cæli palatio.

Gratamur ergo, ter beate Vir, tantas
Tibi beatitudines, secuturi,
Quando vocaverit DEUS, dator vitæ

Observantia & Supplicatio
f.

M. ELIAS KOLB, Pastor
ad D. Junioris Petri,

Wann unser ganges Land/vorhin jek traurig ist/
Vnd auch gemeiner Statt/ ein solcher Mann entwischt/
Den man niemahlen nicht/ ohn That zu Raths gefragt/
So hat man dieser Zeit/ ohn zweiffel doppelt leyd/
Vnd ist des Kummers voll/ weil nun auch von uns scheid/
Der Grosse DOCTOR DIT/ den jedermann beklaget.
Straßburg du weißt es wohl/ daß heut ein theure Zier/
Ein weiser Advocat, und starcke Säul in dir/
Werd vor dein Thor hinauf/ mit leyd zu Grab getragen/
Ein Mann voll Gottes-Forch/ der fast kein Kind betrübt/
GOTT/ und sein heiligs Wort/ von Herzen-grund geliebt/
Wie ja kein Ehren-Mann das widrige kan sagen.
Sein statts-bewohner Sitz in unsrem Gottes-Haus/
Das Er so ofte besucht/ sieht gleichsam leydig auß/
Daß Er hinfort mit Ihm nicht kan so eyffrig prangen/
Vnd weiß ich das gewiß/ daß manchem in der Statt/
Dem Er mit seinem Rath/ umbsonst gedienet hat/
Der seinen Tod vernimt/ die Augen über gangen.

B. 2

Nun

229

Nun unser Thomas-Kirch verliere ein schöne Cron /
 Und unser Pollicy ein trefflich helle Sonn /
 Sein Seelig-Edler Geist ist beyden jetz benommen /
 Er aber ist bereits ein seelig-Gottes-Kind /
 Und glücklichen entgang'n dem rauhen Jammer-Wind /
 Zu aller Engel-Schaar / mit Freuden sieghafft kommen.

M. Johann Jacob Schnitzler /
 Diaconus bey St. Thomæ.

Vlma potens genuit, genitum nutrit, Athenis
 Nutritum erudiit percoluitque suis,
 Et Græcis doctum studiis, doctumque Latinis
 Ad loca Te misit non Tibi visa prius;
 Nescia tunc quem, MARCE, Virum, quantumque foveret,
 Nescia tunc, aliisquàm preciosa daret.
 Excipit Argyrope, cognoscit FRIDIUS in Te
 Quis vigor ingenii, qui geniusque foret,
 Et Patribus commendat, & Idem noster ut esses
 Efficit, in propriis Te meritisque locat.
 Et neque pœnituit vel Eum suavisse, vel Istos
 Muneris auctori tantam habuisse fidem.
 Ulma ramen potuit tunc invidisse; sed Ulma
 Non civem invidit, qui Sibi natuserat,
 Argyropeque Tibi: nimirum utrique placebas,
 Consilio adjutor rerum utriusque Tuo.
 Dictorum testes sint Osnabruga meorum,
 Quæque Monasteri pax rediviva fuit:
 Sint alia, in Patriam quæ publica commoda utramque
 Vel Tua dexteritas, vel Tua cura tulit:
 Multorum sit priva salus, Te vindice tuta,
 Cum causam præmerent visque dolusque bonam.
 Ergo gravem meritis tumuli sub marmore condi
 Cum videt Argyrope, talibus ora movet:
 OTTO, Tuæ pacem cineri, pacemque precamur
 Ossibus, OTTO Tuis, manibus OTTO Tuis!

Observ. monim.

M. Joh. Christophoro Artopæo.

Der betrübten Zeit! Weil man nichts anders hört /
 Als wie die Reigen-Stamm viel schöne Stätt verzehret /
 Die legt der Erden gleich und in der Aschen liegen /
 Darin zuvor der Ruhm viel tapffrer Leuth gestiegen.
 Ob gleich GOTT unsre Staat vor andern noch erhalt /
 Vad mit der Gnaden-Hand getreulich ob ihr walt;
 So erreib Jhu doch dahin die Menge unsrer Sünden /
 Das Er uns läst darinn viel Trübsaals / läst empfinden.
 Er schickt uns Thewring her / und reißt die Säulen ein /
 Die sonst zu unserm Schutz aufrecht gestanden seyn;
 Versch die klugen Râth / als die mit ihren Tischen
 Sehr schwere Sachen offte zum besten müssen richten.
 Wie dann auch jezund hat der Lode hinweg gerafft /
 Ein Mann in dessen Rath sich fand ein sondre Krafft /
 Dem hier in unsrer Staat viel wurdte anvertrauet /
 Weil er war als ein Säul zu ihrem Nutz erbauet.
 Nun GOTT der alles kan / und in den Händen hat /
 Woll wenden alles Böß / und auch in unsrer Staat
 Widrum an dessen Stell ein solchen Mann bescheren /
 Der alles Unheil mag zum besten helfen lehren.

Seinem Hochgeheten Herrn Pfetern sehet dieses zu lehren Ehren
 M. Joh. Heinrich Christ / p. t. Pastor in Nieder-
 Hauberggen und Pfulgriffheing.

Quat.

